



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Amatus Abbas. 13. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

1. **U**T imiteris S. Guidonem Peregrinantem in terris, moveare ad instar Circini qui non movetur in orbem, nisi ad voluntatem illius qui gerit in manu. Ita voluntas hominis Christiani omnes motus suos conformet voluntati divinæ, dicat in omnibus: *non mea sed tua voluntas fiat.* Sicut circinus fixo uno pede immobiliter in centro, altero circumeundo perficit orbem, ita tu extende te ad curas & negotia vitæ tuæ, corpore per varias occupationes, vagando, sed animo semper Deo, insistens. Nam Christus ipse dicit. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum,* Joh. 15.

2. Imitare in peregrinatione hujus vitæ evagationes prædabundæ per prata, & hortos apiculæ, quæ non redit in alveare nisi onusta. Ita quotidie aliquid boni collige & reconde pro æternitate felice tibi præparandâ. *Charitas* inquit S. Chrysoft. hom. 33 Epist. 1. ad Cor. *Veluti frugi quadam apicula, bona omnia undiq; collecta, in amantis animam importat.* Quomodo colligis quotidie?

3. Imitare motum navis. Ita innitere fluxis, ut obtineas portum. Vela semper pande in altum spe gratiæ. Fortiter obnitere fluctibus fortunæ adversæ, quos superabis efficaciâ gratiæ. Secundo cursu utere cum moderatione, ne te præcipitem rapiat fortuna. Tuorum consiliorum gubernatrix sit mens divina.

---

**S. A M A T U S A B B A S.**

13 Septembris.

M 2

Qui

*Qui fidelis est in minimo, etiam in  
majori fidelis est. Luc. 16.*

**G**Ratianopoli AMATVS natus à Patre  
Theodoro DEO devotus est. Tam san-  
ctis initiis respondit sanctior vita, quam, in  
Auguensi Cœnobio, annis triginta religio-  
sè, in solitudine postea rigidissimè exegit.  
Aquam & panem, quæ in triduum ex mona-  
sterio accipere solitus erat, invidit dæmon,  
qui in corvi forma, aquam, eversâ hydria,  
sæpe effudit panemque abstulit, gratulante  
sibi Sancto, quod sic longiore jejunio DEI  
amore se macerare posset. Cùm ei struenda  
cellula, errore fabri, ligna mensuram non  
attingebant; ea, AMATVS oratione sua, ut  
apta essent, extendit; fontem, ne adferre  
porrò undas necesse esset, post preces scipio-  
ne ad ipsam speluncam elicuit. Otio sibi exo-  
so, ne locum daret, terram pro semente effo-  
dit: unde cùm hordeum messuisset, suus ip-  
se molitor, & pistor, atque etiam cocus dein-  
ceps fuit. Saxum ingens, ab alto rupis in cel-  
lulam ruens, crucis opposito signo, stitit, &  
rupi ut adhæresceret sine fulcro obtinuit.  
Non nisi dominicis ad sacra egressus cellâ est,  
lectus ei perpetuus cilicium cinere consper-  
tum

sum, cujus edacitate ad ossa usque caro ejus  
erosa est. Defunctus cum esset in Catholicae  
fidei professione, triduo post Fratibus Mo-  
nasterii felicitatis obtentae testis gloriosus  
apparuit. Sic, ais, itur ad astra. At per aspera.  
Cave ergo ne mollia secteris: nam sic prope-  
ratur ad orcum. *Lippeloo.*

MEDITATIO.

*De vitandis noxis venialibus.*

1. Peccata venialia diligenter vitanda sunt. Utpote  
quibus ad mortalia sensim descenditur: nemo  
derepente fit pessimus, sed levis noxa via est ad scelus.  
Utilevissimo morbo diligenter occurras, ita peccato  
cuilibet occurrendum: non te defendet levitatis ex-  
cusatio: *Nam nunquam excusatur, quod Deus damnat.*  
*Tertull.*

2. Peccatum veniale quantumlibet parvum videatur,  
maximum est: Deum quippe offendit. An exploratum  
tibi est, quid sibi velint verba haec quae interdum  
jaetas? modo nullum peccatum mortale admittam,  
de venialibus parum curo: hoc est, nolo quidem  
Dominum Jesum Crucifigere & occidere, sed volo  
duntaxat capiti ejus spineam coronam imponere,  
corpus ejus flagellis caedere, faciem sputis &  
alapis deturpare, & nisi gehennae timor deterreret  
lethali peccato eum rursus occiderem. Impie! crudelis!  
en germanum verborum tuorum sensum!

3. Nisi lacrymis venalia peccata hic deleantur, in  
purgatorio igne purgabuntur. At quam acres sunt

ignes illi ! quàm horrendus purgatorii carcer ! infer-  
 nus temporaneus est , alteri non dissimilis , si peccato-  
 rum æternitatem , & incolarum impietatem excipias .  
 An est tanti in peccato percepta voluptas , ut ea atro-  
 cibus suppliciis ematur ? *Hunc transitorium ignem omni-  
 tribulatione presenti existimo intolerabiliorem.*

## EXALTATIO S. CRVCIS

14. Septembris.

*Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Joan. cap. 15.

**S** I minus bellare feliciter, certè prædari no-  
 vit Cosrhoas , qui cum captam totius  
 Hierosolymam ipse etiam cepisset : prædam  
 nimium quantum magnam Crucem Serva-  
 toris in Persidem asportavit. Doluit Chri-  
 stianus Imper. Heraclius spolia hæc Christia-  
 nis detracta esse , & cœlo auctore armis com-  
 mune omnibus Christianis dedecus aggrel-  
 sus abolere , ternas copias Cosrhoæ totidém-  
 que Duces felici Marte devicit , fortissimè  
 Christianis utpote pro signis suis dimicanti-  
 bus. Cosrhoas dum fugâ Tigrim trajicit , so-  
 cium regni filium minorem Mardesam sibi  
 adsciscit. Id maximus natus Syroës impatien-  
 ter